



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Detestationis, Exprobratio[n]is, Imprecationis, & Insultationis exempla.
Cap. XXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

Detestationis, Exprobratiōis, Imprecationis,
Increpat ionis, & Insultationis exempla.

Cap. XXXV.

DETESTATUR Dominus per Amos prophetam
superbos, illis verbis: Iuravit Dominus Deus in ani-
ma sua, dicit Dominus exercituum; detestor ego super-
biam Iacob, & domus eius odi, & tradam civitatem cum
habitatoribus suis. Eadem forma utetur Ecclesiasticus o-
rator, detestans peruersos Christianæ reipub. mores, præ-
sertim illorum vitiorū, quibus magis populus, cui præest,
est deditus. Exprobrat Apostolus: O insensati Galatæ, quis
vos fascinavit? & sic per increpationem: Hæcine popule
stulte, hæcine reddis Domino, qui te, tot, & tam magnis
afficit beneficijs? Horribilis imprecatio est apud Hiere-
miam, ubi ait: propterea da filios eorum, & deduc eos in
manus gladij, fiant vxores eorum absq; liberis & vidua,
& viri eorum interficiantur morte; iuuenes eorum con-
fodiantur gladio in pralio. Hæc figura, à zelo profisciscat-
ur oportet, alioqui authoritatem oratori adimeret. S.
Gregorius Nazian. in oratione de moderatione seruan-
da, increpat eos, qui pastoris munus sibi vellent assumere,
illis verbis: Quid pastoris munus tibi, ouis, arrogas? quid,
pes, caput fieri contendis? quid exercitum ducere aggre-
deris, in militum ordinem ascriptus? & B. Basilius ita in-
uidos increpat: Quid dolore afficeris, qui nulla sis lacesti-
tus iniuria? quid oppugnas eum, cui res secūda sunt, cum
is nihil de tuis rebus, commodisq; detraxerit? Sic orator;
Quid miseri de patria exules nunquam cogitatis? sic vi-
uitis tanquam nunquam in aliam vitam migraturi? Dei
filij

filij adoptiui, fratres Christi, participes aeternae beatitudinis, vos ipsi non agnoscitis? cogitationes et curas vestras ponitis in rebus abiectis atq; terrenis? Extat illa in impios insultatio Esaiæ: Vbi nunc sunt sapientes tui, annuncient tibi, & indicēt, quid cogitauit Dominus exercituum super Aegyptū. Sic licebit insultare: Vbi sunt qui corrumpunt hoc oppidum? vbi reperiuntur inimicitiarum & calamitatum huius oppidi, aut ciuitatis ministri? iam sunt mortui, aut miserrimè viuunt; nolite peruersos illorum mores imitari, nè eiusdem calamitatis & miseriæ participes efficiamini. Quæ figura adhibēda est maximè, cum aliquid esse vitandum, Ecclesiasticus ostendet orator.

Qualiter gloriari, lamentari, & minari possit orator. Cap. XXXVI.

GLORIANDI exemplum est apud Nazianz. in secunda oratione aduersus Iulianum; qui, cum veterum prophetarum gloriationem pluribus verbis exposuisset: Sed quid, inquit, hæc colligo? ad præsentem rerum nostrarum statum, orationem conuertamus: non iam sacrosanctis edibus nostris oculos flagitiosos iniicient, non iam altaria, à purissimo & incruento sacrificio nomen habentia, scelesto sanguine foedabūt. Hac maximè figura, orationem suam illustrare poterit Ecclesiasticus orator illis diebus, quibus auditores sanctissimum Euchariſtiæ sacramentū sumere consueuerunt; sic poterit gloriari: Exeat nunc perennis animarum nostrarum hostis, exeat quidiſsimus perditionis nostræ sathanas, & cum Christo, cuius sanctissimum corpus hodiè sumpsimus, cui per fidem maximè iuncti sumus, congregiatur; vincemus, cha-